

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 124

**Autre(s) référence(s) :** Tabuteau 96

**Auteur(s) :** Guillaume Ier de Bellême [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Lonlay-l'Abbaye, Notre-Dame de Lonlay (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1015-1025]

**Action juridique :** fondation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Charte de fondation de l'abbaye de Lonlay

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Du Monstier Arthur, *Neustria Pia seu de omnibus et singulis abbatibus et prioratibus totius Normanniae*, Rouen, J. Berthelin, 1663, p. 424-425.

### Indications

Louise Gérard, *La seigneurie de Bellême Xe-XIIe siècle*, dévolution des pouvoirs territoriaux et construction d'une seigneurie de frontière aux confins de la Normandie et du Maine à la charnière de l'an Mil, Flers, Le Pays bas-normand, 1992-1993, 2 vol., t. I, p. 85-86 n. 316, 110, 153,185, 262, 281,298 n. 762, 306-307, t. II, p. 51-53, 102-103, 131-136.

## Dissertation critique

La datation est proposée par Gérard Louise (*La Seigneurie de Bellême*, t. I, p. 153).

Texte établi d'après a

In Nomine Sanctæ et Indiuiduæ Trinitatis.

Quicumque purioris vigore intrinsecus fulcitur rationis, diuinæ paginæ testimonio docente, patenter colligit, quod mortalium propago, tanta peccaminum enormitate suffocatur, vtruinæ damnationis æternæ irreparabiliter pateat, nisi deuota eleemosynarum distributio, et electorum Dei veneranda subueniat intercessio. Hinc est quodipse generis humani Saluator, nos ad pietatis opera prouocans, inter cætera, sic ait : Mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis, inde est etiam quod omnis peccator, dum suo conditori collectis animi viribus nititur reconciliari, vnum quemlibet sibi ex Dei amicis, obsequio venerationis sibi efficit familiarem ; per cuius patrociniij opitulationem, districti iudicis iram credit sibi fieri placabilem. Ego itaque Guillelmus Bellismensis, Prouinciæ principatum gerens, innani vitiorum mole pressus, quanto diuitiarum copiis affluens, tanto lachrymabilius, sub meæ prauitatis pondere ingemiscens, diutina et sedula intentione, intra me reuoluens, ad quem electorum Dei, pro salutis remedio confugerem, nullumque ad opitulationis copiam reperiens opportuniorem, quam sacrosanctæ Dei genitricis, quæ ipsam genuit misericordiam, quæ sicut in libris patrum legimus, enormes peccatores ad se confugientes, indulta peccatorum venia solet lætificare, et de profundo Baratri potenter liberare. In hujus igitur Beatissimæ Dei

genitricis Mariæ honorem de assensu meæ conjugis, et filiorum meorum, scilicet, Falconii, V varini, atque V villermi ; quoddam monasterium sub nomine Abbatia, in loco, qui dicitur, Longiledum, de propriis facultatibus construximus, et in eo Abbatem, et sub eo monachos, qui pro nobis, et pro nostris Antecessoribus, nocte ac die in Diuinis obsequijs excubantes, supernam Clementiam exorarent, posuimus : Ad quorum vsus et fustentationem, de nostris hæreditarijs beneficijs, quæ ibidem habentur, plurima, quæ hic infra diuidimus, conferimus.

Ex parte Orientis, terram illam damus, sicut illam diuidit ille riuus, qui vocatur Pulcher Ductilis vsque in Egrannia fluuium : et ab ipso fluuiio sicut mons de Brueria per conualle disternat, vsque in Normania commarchiam. Dedimus etiam Decimas omnium reddituum nostrorum ; reddituum de castro Danefrontis, et de Baillia, quæ ad nos pertinent ; et Decimas duarum forestarum nostrarum scilicet, Andenæ, et Syluædine, de Herbagio, de Pasnagio, de venditione mortui bosci, et viui, et de omnibus exitibus prædictarum forestarum ; excepta venatione, et auibus nostris. Conferimus etiam prædictæ Abbatia omnes molendinos nostros constructos et construendos, de Donnifronte, cum omnibus iuribus ad molendinos pertinentibus, ita libere et quiete sicut ibidem tenemus : Dedimus etiam Ecclesias Donnifrontis cum omnibus pertinentiis, et Decimas omnium agriculturarum, quæ fient in exemplaris forestarum prædictarum : exceptis illis, quas Heremita faciunt, proprijs manibus et pedibus : deinde Ecclesiam Capellæ, cum tota decima ad eandem pertinente, sicut eam terminat Pulcher Ductilis vsque fluuium Varenna, qui discurrit ad radicem Donni frontens. castri. Apud Condatensem vicum, damus molendinos cum omni jure molendinaria delationis Bannualis leugæ, ita libere, sicut ibidem teneo. Ecclesiam S. Martini cum decimis, et cum omnibus pertinentijs ; et Ecclesiam S. Petri de Respectu cum decima : et terram, quam tenuit Algerus Præsbyter, quam ei dedit Reginaldus Episcopus. In Alenconiensi pago, conferimus vicum, qui vocatur Pulcher Manillus, cum Ecclesia, et appendijs omnibus. Alium quoque vicum, qui vocatur Elchufflis, cum omnibus ibidem manentibus.

Huius quoque scripti attestacione nolo successores nostros latere, vbicumque fuerit syluæ factus pastus in nostra regione, omnis grex porcorum hominum in illis terris (quas dedi, vel Deo monente traditurus sum) manentium, libere et quiete discurrant, per omnia mea nemora, syluaticum pastum accipientes : et à nemine requiratur pasnagium, nisi ab ipsis Monachis prædicti loci, quia perpetualiter concedimus. Conferimus etiam, vt omnia pecora magna et parua manentium in supradictis terris, pergant secure et quiete, per omnes syluas nostras ad pascua : omnes quoque homines in ipsis terris a me datis commanentes, ad omnia necessaria facienda sumant mortuum boscum, absque forestarij reprehensione : Monachi autem ad proprios vsus arida et viua accipiant ligna. Quod aute dono ad præsens, vel permittente Deo concessurus sum, ita sit deliberatum, vt nec vicarius, nec forestarius, vel vrenator, vel venator, vnquam terram illam penetret, nec telonearius ibi aliquid requirere tentet. His supradictis placuit adiungere, quòd si quis hominum S. Mariæ, iam dicti cœnobij, mihi vel cuilibet ex ministris meis in sylua vel in castro, vel in foro, siue vbicumque foris-fecerit : vel de quacumque fori-factura calumniatus fuerit, si indè ad terram S. Mariæ absque vadimonij datione, reuerti poterit, nequaquam prouocetur ad placitandum, nisi in curiam S. Mariæ : de quacumque autem querella homo S. Mariæ ad placiti discussionem inuitatus fuerit, non purgabit se aduersum me, vel aduersum famulum meum, nisi propria et singulari manu, absque testium adhibicione.

Huic vero supradictæ liberalitati adiungo ; quod si quis S. Mariæ homo, manens ac residens in præfata terra, Aqua que vuenda vocata, eundo siue redeundo transierit, quodcumque sibi proprium ducat, vel deferat, nullatenus passagium, neque consuetudinem dabit. His itaque est adnectendum, quòd concedo Monachis S. Mariæ, in tribus solemnitatibus, scilicet S. Mariæ, Assumptionis, et Natiuitatis, et Pentecostes, per tres dies et 4. noctes, piscari in Egrennia, et Varenna, in sylua, vel extra, omne genus piscandi. His itaque concessis, et peractis, jure successionis progeniei ; moneo, et monendo rogo, vt huic donatione tota mentis alacritate faueant, fauendo augeant : quatenus ipsi, in orationibus, et missarum suffragiis, cæterisque spiritualibus beneficijs, quæ in prædicto loco, per Dei famulos fient, mereantur fieri participes. Si quis autem profanæ mentis execrabili ingluuie cupiditatis exagitatus ; huius Testamenti firmitatem infirmare, vel minuere tentauerit, nisi respiscat, ab Episcopis præsentibus perpetui anathematis fulmine percussus, in exteriores tenebras gehennalis abyssi, vbi erit fletus et stridor dentium, cum Iuda Christi traditore, et cum Dathan et Abyron, quos viuos terra absorbit, detrudatur sine fine cruciandus. Vt autem huius scripti pagina per seriem defluentis sæculi perseueret indissolubilis, et firma, figilli mei munimine eam insignire satago : Astantibusque Episcopis, et meis fidelibus corroboranda, huius affirmatiue donationis testes sunt, Auesgaudus, Cœnomanensis Episcopus, Sigifredus Sagiésis, Episcopus, Achardus Diues, miles de Donnifronte, Heruæus de Gradato : Fulerius de Altaripa : Girolodus Malsens ; Guillelmus Princeps, et Mathildis, vxor eius, et filij eius Fulconis, et Garinus, et Guillelmus, et Robertus, miles.